

Texte original

I IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS, AMEN. LUDOVICUS, Dei gratia Francorum rex. Régie congruit majestati ut, quod in ejus presentia statutum est et concessum. ita faciat observari quod deinceps nullatenus immutetur. Noverint igitur universi, présentes et futuri, quod. intuitu pacis in posterum conservande. Silvanectis, salva fidelitate

nostra, communiam fieri concessimus quam omnes, tam in suburbio [sic] quam in ipsa civitate commorantes. juraverunt se perpetuo servaturos sub compendiensi communie forma.

II Juraverunt autem quod aiter alteri recte secundum opinionem suam auxiliabitur et quod ipsi nullatenus patientur quod aliquis alicui aliquid auferat vel eum talliet vel quidlibet de rébus ejus capiat.

III Omnia autem forifacta [sic], exceptis infractione ville et veteri odio, quinque solidis emendabuntur.

IV Si quis vero sacramentum alicui facere debuerit, et ante arramationem sacramenti se in negotium suum iturum dixerit, propter illud faciendum de itinere suo non remanebit nec ideo incidet, sed, postquam redierit, convenienter submonitus, sacramentum faciet.

V Si autem archidiaconus aliquem implacitaverit, nisi accusator ante venerit vel forifactum [sic] apparebit, non ei respondebit.

VI Si tamen archidiaconus testem habuerit contra quem accusatus se defendere non possit, emendabit.

VII Homines etiam hujus communie uxores quascumque voluerint, licencia a dominis suis requisita, accipient ; et, si domini hoc concedere noluerint et, absque concessione domini sui, aliquis uxorem alterius potestatis duxerit, si dominus suus inde eum implacitaverit, V tantum solidis hoc illi emendabit.

VIII Capitales homines debitum census dominis suis persolvent quem, si die constituto non reddiderint, quinque solidis emendabunt.

IX Et si aliquis aliquam injuriam fecerit homini de hac communia et clamor inde ad juratos venerit, si ipsum hominem qui injuriam fecerit capere poterunt, de corpore suo vindictam capient, nisi forisfactum emendaverit ipsi cui illatum fuerit, secundum iudicium illorum qui communiam custodierint.

X Et si ille qui forisfactum fecerit ad aliquod receptaculum porrexerit et communie custodes ad ipsum receptaculum transmiserint et domino receptaculi vel primatibus ipsius loci querimoniam fecerint, ut de illo inimico suo ipsis rectitudinem faciat, sicut superius dictum est, si satisfacere voluerit, accipient rectitudinem, et, si facere noluerit, postea auxiliores erunt faciendi vindictam de corpore et pecunia ipsius qui forisfactum fecerit et hominum illius receptaculi ubi inimicus eorum fuerit.

XI Item, si mercator Silvanectis ad mercandum venerit et aliquis ei aliquid forisfecerit infrà leugam ipsius civitatis, si clamor inde ad juratos venerit et mercator eum invenerit, jurati auxiliores vindictam faciendi recte, secundum opinionem suam, erunt, nisi mercator de hostibus ipsorum fuerit ; et si ad aliquod receptaculum ille adversarius porrexerit et si ipse mercator vel jurati ad eum miserint et forisfactor mercatori satisfecerit, secundum iudicium juratorum, vel probare et ostendere poterit se illud forisfactum non fecisse, juratis satisfiet ; si vero facere noluerit, postea si intra Villam eum ipsi capere poterunt, vindictam de illo facient.

XII Nemo autem prêter nos et dapiferum nostrum. poterit conducere in vilam hominem qui forisfecerit homini de communia, nisi pro forisfacto emendando venerit secundum iudicium juratorum. Et si episcopus illius civitatis ignoranter adduxerit in villam hominem qui

forisfecerit homini de communia, postquam sibi ostensum fuerit illum esse de hostibus communie, nullo modo postea eum adducet. nisi consilio ipsorum juratorum. et ea vice eum reducere poterit.

XIII Pecuniam illam, quam homines de ista communia crediderint, antequam communiam hanc juravissent, si rehabere non poterint, postquam iustum clamorem fecerint, querent quoquo modo poterint quod creditam pecuniam rehabebunt.

XIV Pro illa vero pecunia quam crediderunt postquam hanc communiam juraverint, nullum hominem capient, nisi sit debitor vel fidejussor.

XV Et si extraneus homo panem et vinum suum in illam villam causa securitatis adduxerit, postea si discordia inter juratos et dominum extranei hominis evenerit, quindecim dies habebit vendendi panem et vinum in ipsa villa et deferendi nummos et omnem aliam pecuniam suam, pre[ter] panem et vinum, nisi ipse fecerit forisfactum vel fuerit cum illis qui fecerint.

XVI Et nullus homo de communia credet pecuniam suam, vel accomodabit hostibus communie quamdiu guerra durabit ; et si aliquis de communia fuerit [sic] convictus quod crediderit aliquid hostibus communie, iusticia de eo fiet secundum iudicium juratorum. Et si homines de communia aliquando contra hostes suos exierint, nullus eorum loquetur cum hostibus suis, nisi licentia eorum qui communiam custodierint.

XVII Statuti vero ad communie custodiam juraverunt quod nemini propter cognationem vel amorem défèrent, et neminem propter inimiciciam ledent, et rectum iudicium secundum estimationem suam facient.

XVIII Omnes alii juraverunt quod idem iudicium quod predicti statuti super eos fecerint, patientur et concedent, nisi probare poterint, quod de propria pecunia solvere nequiverint.

XIX Preterea concessimus et precipimus quod universi homines, infrà muros civitatis et extra manentes, in cujuscumque terra morentur, communiam jurent ; qui vero jurare noluerit, illi qui juraverunt de domo ipsius et de pecunia iusticiam facient.

XX Si quis etiam de communia aliquid forisfecerit et per juratos emendare noluerit, homines communie facient exinde iusticiam.

XXI Si quis vero ad sonum pro congreganda communia factum non venerit, duodecim denariis emendabit.

XXII Ob istius autem communie concessionem. cives silvanectenses redditus nostros denariorum undecumque provenientium nobis duplicaverunt, quorum summa est ducente libre et octo libre parisiensis monete.

XXIII In bladio vero nobis singulis annis percipiunt sexaginta modios mixtolii, quorum viginti quatuor mine, ad mensuram silvanectensem. modium faciunt, et sexaginta modios vini, ad modium silvanectensem.

XXIV Hec igitur et que diximus universa, ut perpetue stabilitatis fulciantur munimento, salvo jure ecclesiarum et militum, sigilli nostri auctoritate precepimus confirmari.

XXV Actum Parisius, anno ab incarnatione Domini M°C°LXX°III°, astantibus in palatio nostro quorum apposita sunt nomina et signa. Signum comitis Theobaldi, dapiferi nostri. Signum Guidonis, buticularii. Signum Mathei, camerarii. Signum Radulfi, constabularii.

XXVI Pro minuto autem telonio quod nos habemus Sil[va]nectis, burgenses, quamdiu ibi morabimur, providebunt nobis in ollis, in scutellis, in alleis et in sale.

Vacante can *[monogramme]* cellaria.